DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROTHORACE.

5

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROTHORACE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS WATSON,
Scotus,
CHIRURGUS,
SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

——————— " *in pectora venit;*
" *Vitalesque vias, et respiramina clausit.*"
OVID.

Die VIII. ante Kal. Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.
1812.

HUMANISSIMO VIRO,

LAURENTIO TWEEDIE,

ARMIGERO,

DE OLIVER,

AMICO BENIGNO.

Tibi, vir optime et amicissime, hæc sacravi; cui miseris atque egentibus manum auxiliatricem porrigere, et precibus fletuque moveri proprium est; ac haud immemori gratiarum veniam facile concedere culpis. Fateor hasce studiorum primitias parum esse dignas tanta tua clementia atque mansuetudine: nolui tamen gratum in te animum non publice proferre; atque utinam voluntati facultas mea responderet. Diu vivas et valeas, et omnibus amicis multos annos decori intersis, ex imo pectore voveo. Vale.

JOANNI BRADFUTE,

ARMIGERO,

BIBLIOPOLÆ IN URBE EDINBURGENA,

VIRO,

MORUM COMITATE AC VIRTUTIBUS

OMNIBUS QUAS HOMINEM ET CIVEM EXORNARE POSSUNT

INSIGNI;

OB BENEFICIA NEC PAUCA NEC PARVA

IN SE COLLATA,

HOCCE OPUSCULUM

CONSECRAT

AUCTOR.

NECNON,

AMICO SUO PERCARO,

ROBERTO STEVENSON,

ARMIGERO,

CHIRURGO DE GILMERTON;

DISSERTATIONEM HANC,

SUMMA OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM,

SACRAM VULT

JACOBUS WATSON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROTHORACE.

PRÆFANDA.

Membranæ corporis humani pluribus malis opportunæ sunt. Quæ creberrime homines adoriri solita, nec raro ipsi vitæ flammæ perniciem allatura, apprime medicos cognoscere oportet. Inter hæc, nullum omnino sæviores ærumnas, sæpiusve necem infert, quam dirus Hydrops.

Hunc nullo seculo genus humanum nescivit, nunquam non fuit expertum; neque de

ullo adversæ valetudinis genere Coüs, medicinæ pater, et ornatissimus ille Celsus, clarius fusiusve disputarunt. Tandem vero homines luxu et cultu fracti, ventrique dediti, cum hoc, tum etiam aliis morbis, multo frequentius et vehementius quam olim, torquentur.

Aqua intercus, prout huic illive parti incumbat, aliis aliisque nominibus designatur.

Si membranæ cuti subjectæ subest latex, morbus *Anasarca* vocatur: si *pleuram* intus intendit, aut cordis capsulam, *Hydrothorax:* Si ventrem, *Ascites* nominatur. Neque desunt alia hujus valetudinis genera, sed levioris momenti.

Argumento sane quam latissime patenti prodit exitiabilis hydrops: quem quoniam altius et plenius agitare limites et ingenium vetant, satius duxi intra *hydrothoracem* orationem continere; et præcipua, quæ de eo-

dem cognitu digna innotuerunt, quam paucissimis enarrare.

Culleno visum est hydrothoracem ad classem *Cahexiæ*, et ordinem *Intumescentiæ* relatum, hisce verbis definire: "Dyspnœa, "faciei pallor, pedum œdemata, urina parca, "decubitus difficilis, subita et spontanea ex "somno cum palpitatione excitatio, aqua in "pectore fluctuans."

DE SIGNIS.

Morbus, de quo nunc agendum est, nequaquam semper inter ipsa principia patet; sed furis adinstar, sensim et quasi lento passu obrepit: nec prius interdum indiciis certis prædicatur, quam demum alte infixus valetudinem fregerit, et medici peritiam luserit et fefellerit. Neque profecto

hoc mirum videbitur cuivis, varia ista pectoris mala contemplanti, quæ hujus speciem et formam induunt. Neuter sexus, nulla pars ætatis, *hydrothoracis* immunis esse comperitur. Fœminas tamen an viros potius torquere soleat, anceps hæreo. Certe seniores, simulque imbecillos, maxime aggreditur; potissimum tamen qui ebrietate, gula, &c. suas vires conquassaverint.

Incipit e sensu gravitatis et angoris circa præcordia torquente. Æger difficulter spirat; eoque magis, quo diutius hoc morbo vexatur. Multo facilius ducitur et emittitur spiritus corpore erecto; imo inter cubandum vix aut ne vix quidem spirandum est, et miser fere strangulatur. Inter ambulandum vero, et præsertim in acclivibus locis, anima graviter turbatur. Subest quoque decumbendi difficultas, idque in partem sanam, si latex uni solum lateri incumbit. Cui autem lateri humor adest, illud versus corpus ægri inclinatur; et brachium ad idem perti-

nens torpet et marcet. Interdum, agitato trunco corporis, sentitur quasi humor in pectore fluctuans ; neque tamen hoc est perpetuum.

Gregorius sane negat se hoc signum percipere unquam potuisse. Rarius æger somni refecturi amplexibus committitur. Quod si dormit, somniis terrentibus quies perturbatur; et infelix repente expergiscitur pene strangulatus, corde simul inæqualiter et vehementer saliente. Arteriæ continuo micant languide, crebro et sine lege. Crura et pedes aqua intercute intumescunt, maximeque vesperi. Vultus collabitur et pallet. Labra livent. Sentiendi facultas hebetatur, et vires motrices admodum languent. Omnia secernenda et excernenda reprimuntur, certeve justo parcius profunduntur.

Hinc æger crebro tussit, et pene nihil excreat, nisi pituitam aliquando ; hinc valde etiam sitit. Urinæ rufæ parum excernitur ;

ex qua quod subsidit, fuscum aut rubrum esse solet. Summa cutis ubique corporis inarescit et pallet; et alvus pigrior raro descendit. Tandem quoque frigescit corpus, et præcipue artus. Ad finem magis magisque * respiritus et sanguinis motus tardantur et languent. Vires demum concidunt. Anxietas et tristitia vultum fœdant. Cibos infelix fastidit, nec sumptos concoquit; quinetiam ægerrime vorat. Facies livet: eoque mala omnia inveterascunt, ut tandem, pulmone oppresso et officii fungendi impotente, et nervorum facultate deleta, homo penitus strangulatus absumatur.

---

* Vide Ciceronem de Natura Deorum, ubi hac voce utitur ad actionem eam indicandam, qua spiritum trahimus.

QUÆ INCISIS CADAVERIBUS REPERIUNTUR.

Omni ævo medicis persuasum fuit, et præcipue rationalibus, nullo modo causas interiores vel continentes morborum melius patefieri posse, quam mortuorum corporibus sectis. Hinc scripta fere omnium, qui artem medicam prosecuti sunt, rebus ita compertis et perspectis abundant. Quoniam vero inter ea, quæ ferramentis explorantur, alia morborum causæ, alia vero effectus prodeunt, non semper facile invicem discernenda; animus sæpe distrahitur et obscuratur, potius quam vero invento illustratur, inter ea consideranda, quæ de hac re quidam recentiores ediderunt.

Quam brevissime potero, hanc argumenti partem absolvam.

Plus minusve laticis modo utrique, modo alterutri *pleurae* subesse conspicitur. Pulmones fere collabi et pene induruisse, interdum quoque exulcerati esse, reperiuntur. Cor sæpe vitiatur, et aliter alias: ejus valvæ nimirum duriores fere ossis speciem præ se ferunt; sæpiusque e parte sinistra, id est, valvæ *mitrales*, et *semilunares* ostio *aortae* appositæ. Interdum hujus arcus *aneurismate* amplificatur, aut in os vertitur. Neque raro cordis atria sanguine coacto inhærente implentur.

Aliquando cordis capsula latice præter consuetudinem refercitur; qui profecto nunquam deesse sōlet, si hydrops pectoris diutius perstitit, et vires corporis plurimum resolvit.

Denique scire licet, viscera abdominis nonnunquam corrumpi. Jecur scilicet, lien et *pancreas* indurantur et ampliantur: nec

semper integra inveniuntur ventriculus, intestina et renes.

DE DIAGNOSI.

Pulmones et cor malis non paucis proposito, quod ad signa, simillimis torqueri consueverunt; nec parvi sane interest ut, singulorum propriis clare intellectis, præsentis natura vera non medicum fallat. Morbi autem qui maxime hydrothoracem simulant, sunt, *empyema*, *asthma*, *hydrops pericardii*, et *aneurisma arcus aortae.*

Empyema.—Hoc malum est pus inter *pleuram* et pulmonem effusum. Manifestum est igitur notas, quæ humore partes vicinas opprimente proficiscuntur, utrique morbo contingere; nempe, spirandi, et in partem sanam decumbendi difficultatem, humoris fluctuan-

tis sensum, et animam non nisi erecto corporis trunco trahendam; cum aliis quibusdam. At vero inflammatio pulmonis, quæ semper antecesserat, febris *hectica*, rigores, &c. *empyematis* propria, si quid dubii initio esset, cito rem plenissime illustrabunt.

Asthma.—Hic morbus, nisi inveteratus corpus tandem infirmaverit, facile ab hydrope pectoris discernitur. Certis temporibus ejus signa accedunt, interjecta integritate: id quod de morbo, quem prosequor, nequaquam recte dicitur, quanquam certe hujus indicia modo leviora, modo acerbiora urgent. *Asthmatico* jam nunc accessione oppresso, vultus multo magis turget et livet, quam *hydropico;* cui potius facies continuo pallet. Huic quam illi sæpius cor palpitat et anima deficit; graviusque et maturius pedes intumescunt, et vires labefactantur. Quinetiam, *asthmatici* est respiritus strepens cum sibilo proprio; porro, angor fere impatibilis inter accessionem, dein ejecta pituita solutus.

Hydrops pericardii.—Perraro hoc genus hydropis non cum proposito sociatur; si quidem quibus noxis hoc, iisdem fere illud enascitur. Eadem quoque auxilia utrique pariter conveniunt; ideoque alterum ex altero clare dignoscere ad rationem magis quam curationem pertinet. Hæc tamen proprie hydropem *pericardii* designare videntur: spiritus gravissimus cubanti, erecto gravis, inclinato prorsum expeditior: cor vehementius et inæqualius saliens, arteriæ motu magis abnormi exagitatæ, et animæ defectio crebrior, quam *hydrothorace* hujus hydropis experte laborantibus.

Aneurisma arcus aortae.—Quoniam hoc vitium interdum hydropem pectoris gignit, constat utrumque simul subesse posse. Nec aliunde quavis difficultate premimur; si quem enim alteruter ex his morbis alterius expers vexat, internoscere difficile non est. Tumor dolens, cito pulsu intento agitatus, summo ossis pectoris subnixus, cor incitatissimo modo palpitans, ani-

ma crebro deficiens, os ipsum pectoris, ubi premitur arteria, vasis resorbentibus sublatum, et fatum subitum, ne quid dubitemus, vetant.

DE CAUSA CONTINENTE.

CAUSÆ morborum continentes, vel *proximae* quæ vocantur, parum adhuc intelliguntur. Cum equidem quivis morbus res est adeo multiplex et varia, ut vix unica ulla causa interiore contineri possit, ipsas voces, *causa proxima*, prorsus a medicina rejicere, sine dubio satius foret. Quod si hæc causa sit quæ morbum, sublata tollit, mutata mutat, certe potius * *continens*, quam *proxima* nominari debet.

Causa *hydrothoracis* continens est latex

* Vide Celsum, Lib. 1, sub initio.

intra *pleuram* effusus. Incitatior arteriarum *exhalantium* actio, aut torpor vasorum *resorbentium*, vel denique uterque hunc effundi facere existimatur; meo sane judicio, vasa quæ exhalant, et quæ absorbent, pariter torpent et resolvuntur.

DE CAUSIS PROCLIVITATEM FACIENTIBUS.

Causæ, unde homines huic morbo subeundo opportuni fiunt, sunt omnia quæ vires labefaciunt; sive quæ intus in ipso corpore agunt, sive extrinseca illata.

Potissimum huc operam conferunt senectus, certeve ætas aliquanto provectior, et corpus natura fibra laxiori et resolutiori instructum. Qui jam annum quadragesimum quintum aut quinquagesimum expleverunt, hi ad morbum propositum propensiores exis-

tunt; partim, quia valetudo et vires tandem conteri et labare cœperunt; partim vero, quod cor arteriæque diu saliendo et agendo, minus irritabiles resiliendique potentes, non raro in quibusdam partibus indurescunt et ampliantur; quae vitia, uti postea memorandum, præsertim hydropem faciunt. Mulieres, quibus subest indoles tenerior, mollior, aut fibræ laxæ et imbecillæ, proprie aquæ intercuti subjiciuntur.

Ad hæc accedunt ignavia, cœlum humidum, frigidum et varium, cibus e tenui materia et parcior æquo, carnium expers, ebrietas et concubitus frequentior. Quæ omnia efficiunt, infirmando et resolvendo, ut corpora facilius in hydropem incidant. Porro, ambulare vel currere diutius et vehementius, idque ultra sudorem, timere, pertimescere, mœrere, aut quamvis aliam animi perturbationem subire, eodem spectat.

Quinetiam, exinanitiones largæ et subitæ,

multa ingurgitata, quæ prius ventriculum, dein totum corpus sedarent et infirmarent, veluti potus meraciores, *opium*, *nicotiana tabacum*, omnia condita, et quæ sunt his similia, huic morbo recipiendo quasi corpora parant et aptant.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Omnes membranæ corporis humani, quæ apud medicos *serosae* vocantur, oribus patulis vasorum exilissimis instruuntur. Ex his ostiis alia arteriarum sunt fines, et humorem tenuem profundunt; alia hunc, ne superfluat, resorbent, et eundem in vasa *lymphatica*, quæ vocantur, deferunt. Quoniam iste latex nimius hydropem facit, constat, undecunque aut arteriæ plus justo humoris spirant, aut vasa resorbendo dicata minus quam ex consuetudine auferunt, inde hunc morbum proventurum

esse. Duplices igitur sunt causæ hydrothoracis excitantes:

I. Quæ efficiunt ut arteriæ extremæ plus solito humoris profundant.

II. Vel, ut minus ejusdem resorbeatur.

I. Arteriæ duobus saltem modis finiuntur; nimirum, ramulis, unde venæ incipiunt, et ostiis exhalantibus ante dictis. Nec alii desunt fines, sed minus ad rem propositam pertinentes. Quæcunque autem sanguinis per venas motum tardant et impediunt, has tandem eo usque impleri et intendi faciunt, ut ægerrime plus sanguinis in easdem ex arteriis profluat; ideoque moliuntur, ut ipsæ arteriæ ampliorem laticis copiam spirarent. Hujusmodi causæ præcipuæ omnium hydrothoracem inferunt; nimirum, cor imbecillius, amplius, aut rigidum, et quasi in os conversum; ejus valvæ quoque duratæ, potissimumque valvæ ad partem lævam pertinentes,

id est, *mitralis* et *semilunares* illæ ostio arteriæ magnæ appositæ: porro, hæc ipsa arteria, eodem vitio imbecilla, aut *aneurismate* tumens, maximeque ubi se arcuat. Quorum omnium commune est, ut, cursu sanguinis in arterias impedito, vasa pulmonis præter modum oppleantur et turgeant, et inde arteriæ *pulmonicae* ramuli exiles plus æquo laticis in pectus effundant.

Eodem sunt referendi morbi pulmonis, quicunque vetant quo minus sanguis facile ad cor sinistrum transducatur. Quales sunt *asthma*, tubercula, *peripneumonia*, &c. Sequitur enim, ut pulmonis arteriæ, quo se expedirent, et deonerarent, plus excernant humoris.

Exinanitio quævis repressa, nempe menstrua, *haemorrhois*, vel halitus, quem spirant arteriæ cutis, &c. interdum morbum, de quo agitur, genuit; ex ea lege, qua humores hinc repulsi alio præter modum feruntur.

Si quis igitur, antea ad hydropem opportunus, jam incalescens aquam gelidam largius potat, aut aliunde refrigeratur, non raro in hunc morbum incidit. Cutem efflorescere subito desinentem aliquando aqua intercus sequitur: rarius autem hydrothorax.

II. Quæ causæ plus laticis exhalari, eædem fere minus resorberi faciunt: quippe quæ omnes plane corpus infirmant; et vasa resorbentia *lymphatica* imbecilla sua facultate destituantur, necesse est.

Nec vero desunt, quæ recta motum humoris per hæc vasa tardant. Arcus *aortae aneurismate* intumescens non solum vetando, ne sanguis circumfluat, sed etiam aliquando *ductu thoracico* opprimendo, pectoris hydropem gignere valet. Quæcunque sane vasa *lymphatica* premunt, partem, unde hæc proveniunt, hydrope implicabunt. Nondum pro comperto habetur, glandulas *conglobatas*, *struma* duratas et ampliatas, per se hydrope in-

ferendo habiles esse. Culleno videtur hunc morbum non inde exoriri, nisi venæ quædam grandes vicinæ premantur.

Denique, pleræque ex iis noxis, unde hydrothorax nascitur, alia genera hydropis moliri possunt: et præsertim cordis ipsius vitia supra comprehensa. Si enim sanguis ægre a pulmone redeat, oportet cor dextrum et venæ omnes paulo post tumeant et oppleantur, et *anasarca,* nec raro *ascites* fiant. Qui profecto morbi eum de quo agitur sequi et comitari solent.

DE QUORUNDAM SIGNORUM RATIONE.

Spirandi difficultas.—Quæcunque animalia spiritum trahunt et emittunt, nequeunt hoc munere facile perfungi, nisi animæ fistulæ pateant, et sanguis libere per pulmonem

profluat. Latex autem pulmonem opprimendo et coarctando, ut fistulæ spiritui accipiendo dicatæ collabantur, et sanguis vix moveatur, efficit, eoque spirandi difficultatem infert.

Aqua pedum intercus.—Hoc signum quodammodo imbecillitate nititur: præsertim vero, ut opinor, ex humore pulmonem opprimente nascitur. Hinc enim efficitur, ut sanguine redeundi impotente, cor dextrum et venæ ultra debitum impleantur; ideoque ut arteriæ solito amplius humoris subter cutem fundant. Tempore vespertino potissimum intumescunt pedes; nempe serum suo nutu deorsum fertur.

Decubitus difficilis et *spiritus erecto corpore facilior.*—Quoties æger decumbit, humor totum omnino pulmonem coarctat et impedit; imo vero ad summum pectus assurgens asperæ arteriæ ramos quodammodo opprimit; unde spiritus ægerrime ducitur. Quod si,

uno latere integro, alteri aqua subest, homo non sine gravissimo respiritu in sanum illud cubat, eo quod humor *mediastinum* et integrum pulmonem premit. Anima autem longe facilius trahitur et redditur, erecto trunco corporis ; quia latex deorsum latus vix aut certe multo minus pulmonem impedit : et simul septo transverso incumbens et innitens, facit ut hoc melius et facilius descendat. Porro, corpus erectum per se hujus descensum expedit ; deorsum enim omnia sua natura feruntur.

Cordis palpitatio. — Sanguinis cursus per pulmonem difficilis, facit ut cor dextrum turgeat. Vitia quoque cordis sinistri, de quibus antea egimus, et quæ sæpe adsunt, hanc etiam cordis partem sanguine tumescere faciunt. Quod sequitur ut cor plus æquo oneratum et incitatum, abnormia et gravia edat molimina, ad sese expediendum.

Brachii torpor.—Parum constat, unde hoc

signum enascatur. Cum vero *plexus axillaris* et nervus *phrenicus* eandem fere originem habentes, ex ea causa consensu quodam inter se sociari videntur, verisimile est aquam in pectore, nervo *phrenico* opprimendo, brachii torporem facessere posse.

Subita e somno excitatio.—Quo quis rite dormiat, opus est ut libere et facile spiraret. Inter cubandum autem, *hydrothorace* implicitus difficillime spirat. Hinc officiis cerebri turbatis, (scilicet, propter insignem consensum, quo hoc viscus cum pulmone committitur), æger diris somniis perterritus, subito excitatur, pene strangulatus. Cor simul vehementer palpitat, ex causis antea propositis; et ex terrore, qui sanguinem ab extremis ad cor repellit.

Secernenda et *excernenda repressa aut imminuta.*—Lex est naturæ, ut si humores huc impetu majore feruntur, alii cuidam parti deficiant. In hydrope igitur, quoniam ad par-

tem affectam concurrunt, cæteri secernendi et excernendi parcius effunduntur. Hanc rem vero paulo altius agitare placet. Jam supra proposuimus venas omnes, propter oppressos et collapsos pulmones, præter consuetudinem intumescere. Necesse est autem ut arteriæ ex eadem causa non idonea sanguinis copia impleantur; ideoque ut languidæ et proprii stimuli egenæ minus ad excernendum et secernendum valeant. Urina igitur rufa fiet et parca; cutis arida; saliva faucibus deficiens, sitim, et pituita fistulis animæ, tussim siccam creabunt. Nec aliunde facies pallet; quod sane fieri oportet, si sanguis in arterias rite fluere non potest. Vires denique fractæ, humores intus vertendo, quodammodo hoc signum inferunt. Circa finem hujus morbi, vultus purpureus livet, et præsertim labra; quia spirandi difficultas ingravescens obstat, quo minus a capitis venis sanguis reducatur. Quoties huc venitur, omnia ad fatum celeriter tendunt.

DE PROGNOSI.

Omnia ad hunc morbum pertinentia metum, fere nulla spem incutiunt. Si profecto æger nondum annis conficitur, nec cor vitiari videtur, nec indicia graviora accesserunt, aliqua spe sanitatis rediturae fovemur. Quod si omnia signa vehementiora adsunt; si æger jam senio labefactatur, aut vino et luxui se dediderit; sive cor vitiis antea dictis implicatur, aut pulmo tuberculis impeditur, constat in præcipiti esse omnia. Quanto diutius jam perstiterit morbus, tanto magis periculi instare oportet. Quinetiam, alvi dejectio lenis bono, at eadem profusior et præter voluntatem pessimo, habenda est indicio. Urina liberior, sudor tepidus, lenis et æqualis, sputum et spiritus expeditior, spem rite accendunt: et contra, sudor gelidus, glutinosus et inæqualis, ulcera oris, extrema frigida,

pedes magis intumescentes, et vultus livore fœdatus mortem in propinquo esse denunciant.

DE CURATIONE.

Quum hæc valetudo persæpe celeri sed simul quieto pede ad fatum properat, nec raro non prius clare patere cœpit, quam vires vitæ pene conquassaverit, constat ingenio sagaci et mature facto opus esse medico; quo, periculo antea perspecto, auxiliis idoneis adhibitis tempestive occurratur. Quocirca, simul atque spirandi difficultas, tumor pedum et pallor faciei mali naturam prædicare incipiunt, quam acerrime agendum est.

Omnis vero curatio duplici consilio dirigenda est. Alterum est, efficere ut humor profusus resorbeatur aut auferatur. Alterum,

vires corporis refocillare; et alia servare, quæ morbo redituro obstent.

I. Quo humor qui pulmonem opprimit auferatur, medici aut uti solent medicamentis, aut ferramentis, aut denique utrisque. Inter principia certe experienda sunt illa. Medicamenta autem valentissima sunt ea quæ alvum et urinam acriter movent, quæ sudorem eliciunt, quæ vomitum, sputum et salivam promovent; de quorum singulis nunc disputare in animo est.

Quac alvum movent.—Satis constat alvum quotidie probe solutam, quacunque valetudine aliquis utatur, summi esse momenti. Hic tamen juvant, quæ acrius alvum cient, et dejectiones crebras liquidasque moliuntur. Qualia sunt *submurias hydrargyri*, radix *convolvuli jalapæ*, *convolvulus scammonia*, *gutta gambogia*, quibus bene accedunt sales medii. Hæc auxilia sæpe miram facultatem hydropis fugandi exhibent; eo-

que majorem fere, quo plus humoris per alvum excernant. Unde nobis non veri absimile videtur, eadem juvare sanguinem impellendo ab arteriis pectoris deorsum ad intestinum, potius quam vasa resorbentia recta incitando. Si enim inde minus laticis effunditur, hydrops sensim evanescat, necesse est. Neque tamen inficias est eundum quædam medicamenta, quæ parum excerni faciunt, in hydropem pectoris admodum valere. Quomodocunque sane alvi purgantia acriora proficiunt, illud saltem convenit, hæc remedia crebrius et largius data vires corporis insigniter labefacere.

Quae urinam movent.—Hæc nequaquam prætermitti oportet. Prosunt, uti suspicor, potissimum humores evocando ad renes, quo minus ad pectus concurrant; et forsitan vasa *lymphatica* ciendo. At vero controversiam de hac re nolo movere. Hoc profecto tenendum est, longe tutius esse, si non efficacius, urinæ cursum quam dejectionem moliri; eo

quod minus infirmatur corpus. Utilissima ex his remediis sunt, *digitalis* purpurea, *scilla* maritima, *nicotiana tabacum*, baccæ *juniperi*, *supertartras potassae*, &c.; quibus rite adjicitur *hydrargyrus*, si jecur aliudve viscus induruisse videtur.

Quod ad *digitalem* pertinet, nequaquam inter medicos convenit, vel prosit necne, vel si quid valet, quomodo juvet. Res est autem notissima, hanc plantam mirum in modum cor arteriasque sedare, eoque præsentissimo esse auxilio si cui pulmo inflammatur, aut sanguis expuitur.

Nonne quoque verisimile est eandem pari omnino facultate (nimirum motum sanguinis tardando) efficere, ut minus laticis arteriæ pectoris profundant? Scilla maritima non solum urinæ copiam auget, sed etiam sputum ciet. Rarius, sed interdum, vinum *nicotiana* imbutum datur; hujus paucæ guttæ idoneæ sunt; sed ventriculo imbecillo parum accommoda-

tur hæc planta. *Alcohol* oleo, quod baccæ juniperi præbent, infectum, insigniter urinam elicit; eoque magis proficiet, si corpori dejectione labefactato robur desit.

Quae sudorem eliciunt.—Si halitus, quem spirant arteriæ cutis patulæ, evocatur, necesse est ut minus laticis ad partem ægram deferatur. Quæ igitur sudare faciunt, sæpe a medicis præcipiuntur. Non autem celandum est, hæc magis hominem resolvere. Nostro saltem judicio, hæc potius junioribus, quos frigus aliave causa ejusmodi aqua intercute implicuerit, convenire videntur. Quidam tepidario uti nolunt, ex eo quod existimant, cutem inter residendum in balneo, nihil excernere; et corpus vapore aquæ ferventis circumdare malunt.

Quae vomitum et sputum movent.—Quæ vomere faciunt, in hydrope sæpe fructuosa sunt. Proficiunt, opinor, sputo et sudore movendis, et forsitan vasis resorbentibus concitandis.

Sudorem et sputum movent, partim ob consensum intimum, quo interior facies ventriculi cum membrana fistularum animæ et cute committitur; partim quoque, quia vomitus ipse cor arteriasque stimulat. Quæ vomere, eadem igitur excreare et expuere ægrum faciunt; qualia sunt *tartras antimonii* et *potassæ*, *ipecacuanha*, *scilla maritima*, &c. In pulmonem cum anima vaporem aquæ ferventis trahere, tuto et optime sputum elicit. Denique, scire licet hæc remedia perniciem, imo ipsum fatum maturum illatura esse, si hydrops corde vitiato proficiscitur; si vero pulmonis inflammatio antecesserit, hæc eadem aliquid forsan auxiliatum iri.

Quæ salivæ fluxum augent, humores a parte læsa aliorsum vertendo, aliquantum opis aqua intercute vexatis pollicentur. Hic vero minime iis fidendum esse existimo. Quoties inflammatio pulmonis *hydrothoracem* genuit, sperare licet eventum bonum, si ipso initio, cutis circa os pectoris emplas-

tro *meloës vesicatorii* exulceratur, et cætera auxilia ante memorata tempestive dantur. Quidam in tali casu venam secuerunt: at judico multum sanguinis vena brachii incisa mittere, esse hominem necare: multo satius est vasa parti vicina hirudinibus aut cucurbitulis impositis deonerare.

Nullum genus hydropis, præter id de quo disputatur, cutem *meloë vesicatorio* exulcerare aut fere desiderat aut patitur. Parum enim proficit hoc remedium, ut ratio et usus pariter docent. Vehementer autem nocet, eo quod inflammatio, quam facessit, semper ad gangrænam præceps, multo tamen eo proclivior est in hydrope, propter malum corporis habitum et imbecillitatem. Si qua vero exulceratio utilis fore apparet, hanc potius ope *tartratis antimonii et potassae* molimur.

Rarius hydrops pectoris quam abdominis ferramentum adhiberi requirit aut patitur. Multa profecto vetant, quo minus latex tuto

per scalpellum educatur. Imprimis, perraro non alicubi pectoris *pleura*, quæ costas obducit, isti pulmonis propriæ non adhærescit: quo fit, ut medicus minus prudens viscus illud vitæ flammæ alendæ adeo necessarium vulneraret, non humorem tolleret; huc accedit metus, ne aër inter incidendum introiret. Quibus perspectis, non temere hoc auxilium experiri boni esse medici conjicio.

1. Quo minus recidat morbus, quem prosequor, utendum est omnibus, quæ corpus firment, et evitandum aut tollendum, quæ hydropem reducant. Ad corpus roborandum, pauca medicamina valent. Præparata sane ex ferro, et cortice *cinchonae officinalis*, non aliena erunt. Sed potius vitæ et victus ratione innitendum est. Rus eundum; ambulandum quotidie citra fatigationem; aut si desint ad id vires, equitandum aut curru est utendum. Corpus panno laneo velari oportet; et omnibus modis faciendum est, ut halitus cutis et cætera excernenda rite ex-

cernantur. Cibus e carnibus præstat, facilis concoctu, nec stimulantior, nec vero tenuior. Vinum meracius parce bibendum est. Sed liquores ardentiores, qui distillando parantur, nocentissimi sunt. Si causa est, quare suspicemur cor aut ejus vasa grandia induruisse, *digitalis* purpurea præcipi debet, ni ventriculus infirmus aut aliqua proprietas corporis hoc remedium vetat; simulque quies animi et corporis, quantum fieri potest, concilianda est; servatis quoque iis, quæ supra proposui. Denique, si morbo aut fugato aut certe lenito, jecur ampliari aut *scirrho* vitiari videtur; si porro ipse homo nuper domum ab India Orientali regressus est, quoniam verendum est non solum ne *hydrothorax* iterum imbecillum corpus implicaret, sed quoque ne *ascites* aggrediatur, imo dira aqua intercus totum hominem male habeat; præter ea, quæ servanda aut cavenda mox præcepi, cutis unguento argenti vivi illinenda est, et *submurias* ejusdem opio mixtum sumendum.

FINIS.